Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36639
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

133

quod talem duxerit subadulterii crimine
Dicunt ei discipuli · si ita · est · causa hominis cum
uxore non expedit nubere ·, Graue pondus
uxorum · est · si excepta causa fornicationis
eas dimittere non licet ·, Quid enim si tamulen
ta fuerit · si iniocunda · si malis moribus · si luxo
riosa · si gr̃losa · si uaga · si iurgatrix & male
dica tenenda erit · Istius modi uolumus nolu
mus sustinenda ·, Cum enim essemus liberi
uoluntate nos subicimus seruitutis ·, Uiden
tes ergo apostoli grauem uxorum iugum ·
Proferunt motum animi sui & dicunt ·, si ita
causa hominis cum uxore non expedit nubere
Qui dixit non omnes capiunt uerbum istud sed
quibus datum est ·, Nemo putet sub hoc uerbo
uel fatum uel fortuna introduci ·, Quod his sunt
uirgines quibus ad hoc datum sit · Aut quos quida
ad hoc casus adduxerit ·, sed his datum est ·
qui pateriunt qui uoluerunt qui ut acciperint
laborauerunt ·, Omni enim petenti dabitur
& quaerenti inuenietur & pulsanti aperietur ·